1305.

B. C. D.

INDULTU.

MAGNIFICORUM. JURECONSULTORUM. LIPSIENSIUM.

DE.

FALSO. LAUDANTE. EX. DOLO. CONVENIENDO.

Occaſ. L. 8. ff. de Dol. mal. junct. Deciſ. Elector. noviſſ. XLII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISSERENT.

D. CAROL. GOTOFRED. ITTIG.

ET.

JOANNES. THEODORUS. KRESSE.

BUDISSA. LUSATUS.

AD. DIEM. XXII. AUG. A. R. S. MDCCXV.

LIPSIÆ.

TYPIS. JOANNIS. ANDREÆ. ZSCHAU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS DISSERTATIONIS DE FALSO LAUDANTE EX DOLO CONVENIENDO.

PROOEM.

Ex L. 74. ff. de R. J. *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.*

§. 1. *Methodus indicatur*, & Lex 8. ff. de Dol. mal. *recenſetur.*
§. 2. *Autor Legis exhibetur.*
§. 3. *Verba Legis accuratius examinantur*, & *primo quidem*, *quid ſit* facultatibus labi.
§. 4. Lucri *verbum enodatur.*
§. 5. *Quis hic* idoneus *dicatur, deſcribitur.*
§. 6. *Senſus verborum:* merito adverſus te, *communicatur.*
§. 7. Decipere *quid involvat, dicitur.*
§. 8. Falſo laudare *deducitur.*
§. 9. Judicium Doli *examinatur.*
§. 10. *Tranſit: ad* Deciſ. Electoral. nov. 42. *ejusque convenientia cum* L. 8. ff. de Dol. mal. *docetur.*

Digitized by Google

§. 11. *Convenientia Jur. Saxon. & Civil. cum Lubecenſ. demonſtratur.*

§. 12. *An Textuum verbá omnes omnino obligent, an tantum ad mercatores ſint reſtringenda? quaritur.*

§. 13. *In genere laudantem regulariter non obligari affirmatur.*

§. 14. *Secus in ſpecie.*

§. 15. *Quid velint verba:* Er mache es wie er will, ich thäte es aber, *inquiritur.*

§. 16. *De falſo laudante ex errore circa Perſonam, & familiam agitur, & quid juris in hoc paſſu evolvitur.*

§. 17. *Idem ſentiendum de falſo laudante ex errore rem, aſſeritur.*

§. 18. *Caſus* L. 13. §. 2. ff. de action. Emt. *exhibetur.*

§. 19. *An falſo laudante mortuo ejus hæredes teneantur judicio* Doli, *diſputatur.*

§. 20. *Falſo laudante facultatibus lapſo, ad quem regreſſus detur, enucleatur.*

§. 21. *Quid Juris: Si quis ex Joco falſo laudet, habetur.*

§. 22. *De fœmina falſo laudante agitur.*

§. 23. *Quousque falſæ laudis præſumtio procedat, ſermo inſtituitur.*

§. 24. *De advocato cauſam malam tanquam bonam falſo laudante, verba fiunt.*

§. 25. *De Proxeneta inidoneum tanquam idoneum falſo laudante judicatur.*

§. 26. *De Proxeneta ſeu Proxenetria falſa ſua laude nuptias conciliante habetur.*

§. 27. *An ejusmodi matrimonium falſa laude Proxenetæ contractum, diſſolvi poſſit, diſquiritur.*

§. 28. *Finis Diſſertationi imponitur.*

PROOE-

Digitized by Google

PROOEMIUM.

TRitum illud proverbium; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, juri divino æque ac humano maximopere conveniens eſſe, expreſſa docent loca. Evolvatur Evangeliſtæ Matthæi cap. 7. v. 12. ibi claris exprimitur verbis: Alles nun, das ihr wollet, daß euch die Leute thun ſollen, das thut ihr ihnen, & in *Leg. 74. ff. de Reg. Jur.* Papinianus, vir ingenio & dignitate & ſcriptis celeberrimus clare docet: *Non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri*, ſeu ut loquitur Bonifacius VIII. in textu canonico: *Non debet aliquis alterius odio prægravari.* In omnibus enim maxime tamen in Jure æquitas ſpectanda eſt, juxta *L. 90. ff. de Reg. Jur.* & ubi æquitatem deſiderii naturalis ratio, aut dubitatio Iuris moratur juſtis decretis res eſt temperanda, *L. 85. ff. de R. J.* Manaverunt autem hæ regulæ proverbium ſub initio poſitum confirmantes, ex ſecundo Juris N. præcepto, quod eſt *alterum non lædere* nihilque aliud innuunt, quam ex alterius facto læſionem alteri inferri non debere, quin potius illud facienti nocere, juxta textum *Leg. 155. pr. ff. eod.* & *Leg. 9. ff. quæ in fraud. Creditor.* ubi Paulus: *factum cuique ſuum non adverſario nocere debet & dolus ei tantummodo noceat, qui admiſit.* Idem omni absque dubio volunt tam *L. 8. ff. de Dol. mal.* quam *Deciſ. Elect. nov. 42.* de quibus impræſentiarum erit dicendum. Faxit Deus feliciter!

Ex L. 74. ff. de R. J. non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

§. I. Me-

Digitized by Google

§. I.

Methodus indicatur, & L. 8. ff. de Dol. mal. recenſetur.

Methodus, quam in elaboratione hujus Diſſertationis ſequi placuit, ſequens eſt: Primo ſtatim in limine tum in Autorem Legis noſtræ *8. ff. de Dol. mal.* tum etiam in genuinum verborum in iſta occurrentium ſenſum inquiritur. Poſtea tranſitio fit ad Deciſionem Electoralem noviſſ. 42. ejusque convenientia docetur cum Lege noſtra & Jure Lubecenſi. Hac deducta quæſtiones ex textibus, & occaſione eorum fluentes proponuntur, & quid æquum aut iniquum in iſtis decidendis reputetur, usque ad finem communicatur, inſcriptio autem Legis noſtræ, ejusque tenor eſt ſequens:

L. 8. ff. de Dolo malo. Cajus Libr. IV. ad Edict. Provinciale.

Quodſi cum ſcires eum facultatibus labi, tui lucri gratia adfirmaſti mihi idoneum eſſe: merito adverſus te, cum mei decipiendi gratia alium falſo laudaſti, de dolo judicium dandum eſt.

§. II.

Autor Legis exhibetur.

Autorem noſtræ Legis Cajum, ſeu ut Corpus gloſſatum eum vocat Gajum eſſe, ex inſcriptione conſtat, quem tempore Divi Pii vixiſſe ipſius verba tum in *L. 7. ff. de Reb. Dub.* ubi: *noſtra quidem ætate Serapias Alexandrina mulier ad Divum Adrianum perducta eſt*, cum in *L. 11. ff. de Jurisdict. & L. 42. ff. de Donat. inter Vir. & Uxor.* ubi mentionem Principis Antonini, i. e. Pii facit, ſatis evincunt. Prænomina ejus apud JConſultos Interpretes non adeo ſunt nota,

&

Digitized by Google

& teſtatur *Grotius in Vit. JConſultor. Libr. II. cap. VI* quod hujus prænomina, aut cognomina non invenerit. Idem agit *Conanus in Commentar. Jur. Civil. L. 2. c. 4. n. 11.* inquiens: *neque ei cognomen aut prænomen adſcribitur, quod prabet argumentum fuiſſe eum natione extraneum aut ſervum, ob præſtantiam ingenii poſtea manumiſſum, nam ſervile fuit Romanis uno tantum nomine appellari.* Vocatur ad differentiam aliorum Cajorum ab Imperatore *Suus* quod docet *Prooem, in ff. Conſtit. omnem, &c. §. 1. & Confirm. Inſtit. §. 7.* item *L. penult. ff. de Stipulat. Servor.* & *§. 5. Inſt. de Publ. Judic.* qualibus muneribus ac dignitatibus præfectus fuerit, vacat; Interim in aprico eſt, fuiſſe eum virum eruditione, & doctrina præſtantem, quam ob rem etiam cum a Juſtiniano, tum a Pomponio noſter videtur dici, prout forte Paulus Scævolam noſtrum appellat in *L. 27. ff. de Pact.* & Terentius Clemens Julianum noſtrum vocat in *L. 6. ff. de Vulg. & Pupill. Subſtit.* Inter Scripta ejus, quæ ordine recenſet *Grotius de Vit. JConſ. L. II. c. 7.* poſiti quoque ſunt Libri triginta duo ad Edictum Provinciale, ex quorum quarto libro Lex noſtra deſumta, prout docet inſcriptio legis. Dicebantur autem Edicta hæc a Proconſulibus Provincialia juxta Gotofred. ad *Leg. 19. ff. quod met. cauſ. & L. 1. ff. de alienat. mutand. Judic. cauſa facta.*

§. III.

Verba Legis accuratius examinantur, & primo quidem quid

In examine genuini ſenſus verborum noſtræ Legis primo loco enucleanda phraſis *facultatibus labi.* Et dicuntur facultates tantum in plurali divitiæ, opes, prout JConſultus incomparabilis Ulpianus in

ſit FACUL-TATIBUS LABI.

in *L. 1. §. 11. ff. de Magiſtrat. conveniend.* loquitur, quando de Tutoribus facultatibus lapſis agit; quamvis quoque in Singulari quandoque adhiberi teſtetur indefeſſus Scriptor Paulus in *L. 12. §. 3. ff. de adminiſtr. & pericul. tutor.* ſequentibus in verbis: *pro facultate patrimonii.* In genere autem notandum ex *Gloſſ. 2. ad L. 49. ff. de Pactis* facultatis verbum denotare quandam facultatem in eo, quod facere poteſt, i. e. in ſolvendo, *Stephan. Daoyz in Indice textuum & Gloſſar. Jur. Civil.* item *Calvin. in Lexico, vocabulo Facultates*, ut adeo *facultatibus labi* idem ſignificet, quod depauperatio, & Germanicis ſit: In Abfall der Nahrung kommen, arm werden.

§. IV.

LUCRI *verbum enodatur.*

Dicitur porro in Lege noſtra *tui lucri gratia.* Examinandum itaque impræſentiarum eſt vocabulum *Lucri*, quod deſcribit Paulus in *L. 30. ff. pro Soc.* Lucrum id eſſe, quod omni damno deducto ſuperſit, & Gotofred. ad *L. 13. ff. rem ratam haberi* ait, Lucrum eſſe compendium quod quæri potuit, neque eſt acquiſitum, dum præripitur quod potuimus habere, hinc de alieno non debet quis ſentire lucrum, hoc enim congruit bonæ fidei, juxt. *L. 10. §. 3. ff. Mandat.* Germanicis optime erit dictum: Deines Nutzens und Vortheils wegen. Plura de lucro & damno legi poterunt apud *Gail. obſ. L. 11. obſ. 6. Hartm. Piſtor. quæſt. L. 3. qu. 1. Afflict. Dec. 20. p. 34. Dyn. in Reg. Jur. 48. de Reg. Jur. in 6to, Schultes. I. qu. 32.*

§. V.

Quis hic

Devenimus ad ſubſequentia verba: *mihi idoneum*

neum eſſe. Videamus ergo, quis dicatur *idoneus*, & juxta *L. 42. ff. de V. S.* is dicitur, qui eſt integræ exiſtimationis & minime probroſus, quandoque etiam *idoneus* accipitur locuples, & qui ſolvendo eſt, ita idoneum hæredem *L. 14. ff. de minor.* idoneum debitorem, *L. 27. §. 3. ff. b. t. L. 42. ff. mandat.* idoneum Succeſſorem *L. 2. §. 1. ff. de fund. Dotal.* idoneum tutorem arg. *L. 9. ff. de tutel.* idoneum fidejuſſorem *L. 7. ff. qui ſatisdare cog.* interpretamur. Quod & contextui noſtræ Legis ſatis conveniens apparet; quomodo vero quis probetur idoneus, & quæ requirantur ad hoc, videre licet apud *Joſephum Maſcard. de Probat. Vol. II. Concl. 878.* per tot. Item an quis in dubio idoneus præſumi debeat, late explicat *Idem Vol. II. Concl. 879. per tot.*

IDONEUS dicatur deſcribitur.

§. VI.

Pergit Cajus: *merito adverſus te.* In his verbis primo notandum, *merito* idem eſſe, ac *ex juſta cauſa*, Secundum *L. 1. §. fin. ff. ſi pars hæredit. pet. Briſſon. Calvin.* Secundo obſervandum præpoſitionem *adverſus* plerumque *contra* ſignificare, ut adeo JConſultus Cajus dicere videatur: *juſta ex cauſa contra te judicium de Dolo dandum eſt.*

Senſus verborum: MERITO ADVERSUS TE communicatur.

§. VII.

Sequuntur jam verba: *cum mei decipiendi gratia*, quæ cum clara ſatis ſint, nec ulteriori deductione egeant, hæc annotaſſe ſufficiant, *Decipere* idem ſignificare, quod imponere, fallere, defraudare, verba dare, in errorem inducere, & optime dari poſſe per dolum, per *L. 1. § 1. ff. de Dol. mal.*

DECIPERE quid involvat dicitur.

Digitized by Google

§. VIII.

FALSO LAUDARE deducitur.

Alium falſo laudaſti, ſunt immediate antecedentibus appoſita verba & hic nemo vitio vertet, ſi tum circa adverbium *falſò* non adeo ſimus ſolliciti, omnibus namque notiſſimum natales ſuos derivare a *fallendo*, cum etiam circa verbum *laudaſti*; Plures namque extant hujus etymologiæ, homonymiæ & propriæ ſignificationes a diverſis publici juris factæ. vid. Magnif. *Quirin. Hartm. Schacher. Diſſertat. inaugural. de Laude intempeſtiva, Lipſ. 1684. publice habita, cap. 1. §. 2. & 3.* Verum ne plane nihil de genuino horum verborum ſenſu huc poſuiſſe videamur, aſſeveramus, *falſò laudare* aliquem nihil aliud involvere, quam doloſam veritatis immutationem in præjudicium tertii facere. Adſtipulatur noſtræ aſſertioni D. *Conrad Geben, in Diſp. Inaugural. de falſis, Erfurti habita 1684. cap. 1, th. 4.*

§. IX.

JUDICIUM DOLI examinatur.

Finalia Legis noſtræ verba ſunt: *De dolo judicium dandum eſt.* In horum explicatione primum ſibi vendicat locum *dolus*, qui ab origine deſcriptus ſatis eſt a *Petr. Müller ad Struv. Syntagm. Jur. Civil. Exerc. VIII. §. [illegible]* (α) & aliis ferme omnibus materiam doli tractantibus hinc ad *Judicium* examinandum nos convertimus, quod deſcribitur, quod ſit decretum eorum, qui pro poteſtate, quam a Lege acceperunt, cauſa cognita de re ad ſe delata ſententiam pronunciant, ſ. Legitima cauſæ controverſæ tractatio coram judice, ut hujus ſententia lis terminetur, atque ita reus vel abſolvatur vel condemnetur. *L. 9. L. 13. Cod. de Judic. Lauterbach, Comp. Jur, tit. de Judic. in pr. Schœpfer. in*

Synopſ.

Synopſ. Jur. Rom. forenſ. alleg. tit. n. 1. Huc pertinent tria illa verba: *Do*, *Dico*, *addico*. *Do* Judicium poſtulantibus; *dico* ſententiam poſt litem conteſtatam & cognitam: *addico* rem victori, & exſequor ſententiam. Impræſentiarum vero ſumitur *Judicium Doli* pro ipſa actione doli, non ſecus ac in §. *20. Inſt. de Action.* ut Judicium familiæ herciſcundæ §. *4. Inſt. de offic. Judic.* item noxale judicium §. *1. Inſt. de off. Jud.* patet hoc quoque ex *L. 25. ff. de Dol. mal.* ubi expreſſe ex contextu conſtat Judicium doli & actionem doli æqualis eſſe valoris, *L. 8. & 18.* ejusque §. *4. ff. de Dol. mal. Schwendendœrffer. in Summar. action. forenſ. cap. 3. membr. 65. Sect. 2.* Definitur plerumque, quod ſit actio prætoria, perſonalis, arbitraria, quæ dari ſolet dolo deceptis *L. 1. pr. ff. de Dol. mal.* adverſus decipientes *L. 1. pr. &* §. *1. ff. h. t.* ad damni illati reſtitutionem *L. 18. ff. h. t.* formulam hujus actionis doli ſeu de dolo judicii præbet *Schwendendœrff. in ſumma action. forenſ. alleg. ſuper. C. III. membr. 65. Sect. II. in fine.*

§. X.

Quoniam autem ſcire Leges non eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem. *L. 17. ff. de LL. L. 25. ff. de hæredit. petit. 13. ff. de Excuſ. Tutor. L. 6. ff. de V. S.* e re fore exiſtimamus, poſtquam proprias acceptiones vocum, genuinumque Legis noſtræ ſenſum breviter deduximus, nunc convenientiam *Deciſ. El. nov. 42.* cum Lege noſtra docere. Inſcriptio Deciſionis Electoralis eſt ſequentis tenoris: **Wenn jemand eine Perſon** recommendiret/ **und ſaget/ er hat zu bezahlen/ es iſt ihm wohl zu trauen/ er iſt**

Tranſit. ad Deciſ. El. nov. 42. ejusque convenientia cum L. 8. ff. de Dol. mal. docetur.

 ein

Digitized by Google

ein guter Mann bey dem keine Gefahr, item er wolle verſchaffen, daß er ſolle bezahlt werden, item er ſolle ohne Gefahr ſeyn, und dergleichen: Ob derſelbe im Fall der nicht Haltung vor die recommendirte Perſon zu zahlen ſchuldig. Verba ſeu contenta quæſtionem decidentia Sereniſſimi Legislatoris ſunt ſequentia:

Wenn einer vorſetzlich und wiſſendlich eine ſolche Perſon, ſo keine Mittel zu bezahlen, rühmet, und andre Leute ihme als einem guten Mann zu trauen, und bey dem keine Gefahr ſey, durch ſolch Vorgeben zu einem Anlehn, oder ſonſten Credit zu geben beweget, oder verſpricht, er wolle verſchaffen, daß der Creditor bezahlet werde, oder doch ohne Gefahr ſeyn ſolle; So ordnen und ſetzen Wir, daß eine ſolche Perſon um dieſer Rede willen, woferne der Schuldner die Zahlung nicht leiſten kan, vor die erborgte Summa, oder getrauete Wahren hafften und gelten ſolle. Wenn er aber keine verbindliche Worte gebrauchet, ſondern nur entweder eine bloſſe interceſſion vor einen andern eingewendet, oder ſeinen Fleiß bey der Zahlung anzuwenden verſprochen; So mag er auch deßwegen actione mandati, oder in factum, oder auch ſonſten beſtändiglich nicht belanget, noch die Zahlung vor den andern zu leiſten angehalten werden. Quibus rite perpenſis nihil obſtat, quo minus, idem voluiſſe Legumlatores & Civilem & Saxonicum, affirmemus.

§. XI.

Convenien-

Æquitatem hujus diſpoſitionis Saxonicæ æque

ac

Digitized by Google

ac civilis Lubecenſes perpendentes, idem hoc in paſſu Juris eſſe, ipſorum ſtatutum, ubi *libr. 3. de mandato conſilii*, **von Befehlich, welcher Rathsweiſe geſchicht,** evincit. Ibi namque ſic diſponitur: **Will iemand einem Fremden ſein Gut nicht verkauffen, und ein andrer ſtehet dabey, und ſaget, es iſt ihm wohl zu trauen, die Bezahlung wird euch wohl. Wird der Verkäuffer von dem Käuffer nicht bezahlt, ſo muß derjenige zahlen, welcher den Fremden loben thut, dadurch der Verkäuffer verſichert werde.** Iniquum quippe Legislatores reputarunt, cum in jure conſtituendo maxime æquitas ſit ſpectanda *L. 90 ff. de R. J.* alteri per alterum iniquam conditionem inferri. *L. 74. ff. de R. J.*

tia Jur. Saxon. & Civil. cum Lubecenſ. demonſtratur.

§. XII.

An textuum verba omnes omnino obligent, an tantum ad mercatores ſint reſtringenda? quæritur

Convenientia Jurium deducta, neceſſe eſt, jus ad facta applicare, & primo quidem examinare, quibus perſonis, deinde quoque quibus in caſibus ſit applicandum. Omnes vero ſubditos has legum diſpoſitiones obligare, qui non ſpecialiter jure prohibentur contrahere, generalitas textuum probat; Et quamvis maxima ex parte de emtionis venditionis actu ſermo ſit, adeoque ad ſolos mercatores, quorum fides exuberantiſſima requiritur, *Lather de Cenſ. L. 3. c. 12. num. 65. Hering. de fidejuſſor. P. 1. c. 27. num. 283. Tuſch Cardin. Pract. concl. lit. M. concl. 207. num. 6.* reſtringi videantur, tamen inter alios aliis Profeſſionibus deditos ejuſmodi actus toties quoties celebrari aſſolet, quare & hos rigorem textuum ſtringere nullum ſuper eſt dubium. Pro tuenda noſtra ſententia provocamus ad ipſam rubricam Deciſionis

Digitized by Google

noſtræ æque ac Legis contenta, ubi in genere dicitur: Wenn iemand ꝛc. ꝛc. quæ expreſſio adeo genera'is, ut neminem excludat, frequentius autem caſus ejusmodi apud mercatores exiſtere quam apud alios, hic non ambigimus, nec erit qui dubitabit. vid. *Carpzov. P. II. C. 18. D. ult.* ubi in annexo præjudicio Scabinorum, in cauſa Michel Molchen, contra Veit Frantzen zu Weßenitz expreſſe pronunciatum: So ſeyd ihr, wenn ihr auch gleich kein Kauffmann wäret, vor euren Freund zu hafften, und die Zahlung zu leiſten ſchuldig. V. R. W.

§. XIII.

In genere laudantem non obligari, affirmatur.

In genere autem laudando commendantem quendam regulariter non obligari, notiſſimi juris eſt, *L. 12. §. 12. ff. mandat.* Cum id ipſum humanitatis officia nobis invicem exhibenda poſtulent; da einer e. g. keine verbindliche Worte gebrauchet, ſondern nur eine bloſſe interceſſion vor einen andern einwendet, oder ſeinen Fleiß bey der Zahlung anzuwenden verſprochen, ſo mag er auch deßwegen actione mandati oder in factum, oder auch ſonſten beſtändig nicht belanget, noch die Zahlung vor einen andern zu leiſten angehalten werden. vid. *præjud. Scabin. Lipſ. apud Carpzov. Deciſ. 126. n. 9.* Ratio eſt in promtu, quia non habet intentionem alteri nocendi, ſed tantum laudato majorem fidem conciliandi.

§. XIV.

Secus in ſpecie.

Quod ſecus in eo, qui ſpecialiter laudando commendat, juxta L. *fin. Cod. quod cum eo, qui in alien.*

Digitized by Google

alien. poteſt. Carpzov. P. II. C. 18. d. 24. Finckelthauſ. obſ. 16. Mev. P. 8. Dec. 120. ſeq. Ita enim ad contrahendum quis inducitur, v. g. ſi quis dicat : Ich recommendire ihm dieſen Menſchen, mit Bitte, ihm mit Rath und That an die Hand zu gehen, auch auf bedürffenden Fall mit Gelde auszuhelffen, vel *adhibe ei plenam fidem meo periculo, fide ei tanquam viro bono, & apud quem nihil eſt periculi,* aut, *ego faciam, ut tibi creditum rurſum ſolvatur,* aut, *ſis extra periculum,* ac ſimilibus. Ecquis tanquam certum non accipit, hujusmodi perſuaſorem ſeu laudatorem, ſive falſo ſive vere agentem, propter talia verba, in caſu ubi debitor ſolutionem non præſtat, de credita ſumma, aut mercibus teneri, & ad ſolutionem ex clara tum Legis noſtræ *8. ff. de dol. mal.* tum Deciſionis Sereniſſimæ mente compelli poſſe. Wenn einer vorſetzlich und wiſſentlich eine ſolche Perſon, ſo keine Mittel zu bezahlen, rühmet ꝛc. So ordnen und ſetzen wir, daß eine ſolche Perſon um dieſer Rede willen, woferne der Schuldner die Zahlung nicht leiſten kan, vor die erborgte Summa, oder getraute Waaren hafften ſolle ꝛc. ꝛc. quoniam hic vis mandati ſubeſt, inſimulque dolus, quem judicium doli ſequitur, *Philipp. in Uſu Pract. Inſt. tit. de mandat. eclog. 82. n. 10. Hackelm. quæſt. illuſtr. Diſp. 9. th. 17.* patet namque mandatum ex circumſtantiis & claris verbis L. *12.* §. *13. ff. mandat.* L. *fin. Cod. quod cum eo, qui &c. Finckelthauſ. obſ. 6. Carpzov. Deciſ. 126. n. 16.* Idem *P. II. C. 18. d. 24.*

§. XV.

Quid velint verba : ex

Quid vero ſentiendum, ſi quis directo & verbis ex-

mache es wie er will, ich thäte es aber, *inquiritur.*

expreſſis non laudet ſeu commendet, ſed verbis obliquis & indirecto e. g. reſpondeat ad conſultationem tertii: **Er mache es wie er will, ich thäte es aber, oder ich trauete ihm?** quanquam autem ex conſilio nemo regulariter obligetur, etiamſi non expediat ei, cui datum, cum quisque apud ſe explorare prius debeat, an ſibi expediat conſilium, §. *6. Inſtitut. de mandat.* attamen cum limitatione hæc accipienda videntur; ſi enim conſilium fuerit fraudulentum, juxta *cap. 62. extra de Reg. Jur. in 6to.* quippe quod non ex ſolo eventu, ſed voluntate dantis judicandum, *L. 79. ff. de R. I.* Tunc omnino dicendum contra hujusmodi fraudulenter ſeu falſo laudantem de dolo actionem dari *L. 47. ff. de R. I.* Deinde quoque ſi cum Singulari quadam perſuaſione ſit combinatum, ita ut niſi ea intervenerit, conſulens id quod fecit, facturus non fuiſſet, convictus adeo falſo laudans **ich thäte es, ich trauete ihm,** ex poſt facto de fraude & dolo, patiatur neceſſe erit adverſus ſe de dolo judicium.

§. XVI.

De falſo laudante ex errore circa perſonam & familiam agitur, & quid juris in hoc paſſu evolvitur.

Accidere quoque indies ſolet idem nomen pluribus & diverſis, ſimulque ſtaturam & conditionem eſſe, ut adeo haut infrequens hominum error circa perſonas alias diſtinctas oriri ſoleat, e. g. ſi quis Titium cum quo contrahit, Cajum eſſe putet, arg. *L. 2. ff. de Judic.* quæritur itaque quid Juris, ſi quis ex errore circa perſonam commiſſo quendam falſo laudarit, an adverſus hunc Judicium de dolo dandum ſit? & reſpondemus quod non, tunc enim rigor textuum non habebit locum, ratio verſatur aſſerti noſtri in-

co:

Digitized by Google

eo: quod error impediat certitudinem conſenſus *L. 15. ff. de Jurisdict.* & *L. 116. in fin. ff. de R. I. L. 35. ff. de acqu. rer. dom. L. 9. Cod. de Jur. & fact. ignor. Sigiſm. Scaccias de commerc. & camb. P. 2. qu. 7. §. 1. ampl. 19. n. 77. Menoch. conſ. 279. & 296. n. 56.* idem *de Præſumt. L. 2. Præſ. 19. n. 9.* excepto caſu quo quis poſt ea ſimulet errorem commiſſum & de hoc convincatur; tunc enim nihil impedit quo minus contra hunc æque ac alios Judicium de dolo detur.

§. XVII.

Idem quoque erit aſſerendum de falſo laudante ex errore ſimulato aut diſſimulato rem quandam, e. g. vendibilem, qualis ferme caſus recenſetur in L. *57. ff. de Emt. vendit.* ubi de venditione domus agitur, quoties enim error in venditione intercedit, toties contractus non eſt absque vitio, & quidem falſo laudantis culpa.

Idem ſentiendum de falſo laudante ex errore rem, aſſeritur.

§. XVIII.

Sed an is rigore textuum teneatur, qui inſcius malæ fidei quendam commendat? quæri poteſt, præbet occaſionem *L. 13. §. 2. ff. de action. emt.* ubi ejusmodi caſus recenſetur; quando de vendente ſervum & ignorante eum furem eſſe, adſeverante vero bonæ frugi & fidum, agitur, & affirmatur ibi, vendentem ex emto teneri licet ignoraverit; non enim debuiſſet facile, quæ ignorabat, adſeverare, adeoque facilis eſſe ad temerariam indicationem, quanquam autem conſilii non fraudulenti nulla ſit obligatio, & tantummodo ſi dolus & calliditas interceſſerit, de dolo actio competat juxta L. *47. ff. de R. J.* & *Magnif. Schacher. Diſſ. de conſilii non fraudulenti nulla obligatione Lipſ. 1662.*

Caſus L. 13. §. 2. ff. de action. emt. exhibetur.

 Re-

Reſpond. Roßfelden *habitam* Attamen cum quiſque gnarus debeat eſſe rei, quam agit, omnino ſibi proſpicere potuiſſet, inquirendo prius, an ſervus fur exiſtat, an non; adeoque incuriæ ſuæ damnum ex vincibili ignorantia redundans imputet, memor illius Juris brocardici: *Damnum, quod ſua culpa quis ſentit, ſentire non videtur.* L. *203. ff. de R. J.*

§. XIX.

An falſo laudante mortuo ejus hæredes teneantur judicio doli? diſputatur.

Quid vero juris eo in caſu? ubi falſo laudans mortuus eſt, anne ejus hæredes ex dolo defuncti commiſſo recte conveniuntur? affirmativæ hic ſubſcribere ſententiæ non hæremus, neminem enim fugiunt expreſſæ legum ſanctiones: per aditionem hæreditatis, omnia jura defuncti transferri in hæredes, adeo ut ipſi pro una eademque perſona habeantur cum defuncto. *Novell. 48. in præf.* hinc quoque ejus facta præſtare tenentur. cum, ex quacunque perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare teneatur, L. *14. Cod. de R. V. Hartm. Piſtor. P. 4. qu. 140. n. 2. Carpzov. P. 3. C. 14. d. 17. n. 4.* L. *149. ff. de R. J.* præterea quoque hæreditas ſucceſſio eſt in univerſum jus, quod defunctus habuit, L. *24. ff. de V. S.* L. *62. ff. de R. J.* quamobrem neminem facile dubitaturum autumamus, jura pariter activa & paſſiva, commoda & incommoda in hæredes transferri, & ferendum non eſſe, qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſet, ut inquit Imperator in L. *un.* §. *4. Cod. de Caduc. tollend.* L. *22.* §. *3. Cod. de furt.* ad quem enim augmentum pertinet, ad eundem etiam per contrarium deminutio ſpectat, L. *1. in pr. ff. ad SCt. Trebell.* L. *11. ff. ad* Leg. *falcid.* L. *fin. ff. de* Legat. *3.* L. *8. pr. ff. de* Legat. *1.* L. *24.* §. *1. ff. de* Legat. *1.* quemque

que commoda ſequantur, eundem quoque ex regula & proportione æquitatis naturalis incommoda tenent, ut proinde iniquiſſimum arbitratus fuerit JConſultus Celſus, hæredem augmentum habere, nec tamen periculum ſuſtinere, L *33. ff. ad SCt. Trebell.* Præprimis vero patet in contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerunt, non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in ſolidum teneri, h. e. unusquisque pro ea parte, qua eſt hæres, L. *157. §. 2. ff. de R. J.* quoniam in contractibus non ſolum nobis ſed etiam hæredibus noſtris proſpexiſſe videmur, L. *13. de Contrab. & committend. ſtipul.* L. *12 ff. de oblig. & action. Carpzov. Reſp. Libr. 6. reſp. 64. n. 1. Hopp. ad Inſtit. tit. de perpet. & temporal. action. §. 1.* his igitur omnibus ac ſingulis rite perpenſis, aſſerendum eſſe profitemur, contra hæredes ex facto defuncti idem judicium doli dandum eſſe.

§. XX.

Examinandum quoque quid Juris ſit, ſi ipſe fallat, falſo laudans, & ad quem regreſſus detur? Sciendum autem fallere hic dici facultatibus labi, **Banckeroth oder** fallit **werden**, de quibus prolixe ſatis videri poteſt *Arumæi Diſput. de Debitoribus non ſolvendo factis, Tom. 3. Diſcurſ. 4. Daniel Sauter Tract. de mercatoribus banco fallitis, Gardinal. Tuſch. lit. D. concl. 105. Lather de Cenſ. L. 3. c. 15. Zahn de mendaciis L. 2. c. 58. n. 4.* & dicuntur everſores qui foro ceſſerunt, clauſa taberna, quam in foro publico habebant, *L. 7. ff. de poſ. L. 5. ff. de Curat. bon. dand.* Horum vero alii ſunt, qui bona ſua decoxerunt, & inſtar prodigorum bona ſua dilapidarunt, & alii qui absque ſua culpa caſu quodam in paupertatem inciderunt, hi commiſera-

Falſo laudante facultatibus lapſo, ad quem regreſſus detur enucleatur.

Digitized by Google

ratione & auxilio digni judicantur in *Conſt. El. 22. P. 2. §.* Wir behalten uns aber ꝛc. non vero illi, *Edict. Torgav. de anno 1583.* von denen, welche mehr auffborgen ꝛc. *Ordin. Proc. Judic. Tit. 52.* ibi expreſſe, Wenn ein Gläubiger ſeinen Schuldner in Schuld-Thurm bringen will, ſo iſt vermöge obgedachter conſtitution zweyerley in acht zu nehmen: Erſtlich daß der Schuldner gnugſam executirt ſey, und ſich ſo viel befinde, daß ſeine Güter zur Bezahlung nicht zureichen. Zum andern, daß man gleichwohl hierbey erwege, ob er ſeines Vermögens halben ſolche erhebliche Urſachen vorzuwenden, derowegen mit ihm billig Gedult zu haben, und er mit dieſen ernſten Mittel zu verſchonen. adeo quoque falſa laude facultatibus lapſi læſus ſicut alius creditor juxta præſcriptam Legem electoralem ponderato prius ſtatu miſeriæ ejus ad æquitatis trutinam ex malitia an caſu ortus fuerit agere, damnumque ex falſa laude profectum pro facultatibus Debitoris communis reſtitui petere poterit, quoniam ex conſilio fraudulento obligatio orta reſtitutionem involvit, *cap. 62. extra de Reg. Jur. in 6to.* moto vero concurſu creditorum falſo laudantis, an deceptus falſa laude, damnumque paſſus in claſſes creditorum recipiendus ſit, ardua jam oritur quæſtio, & quamvis abſolute affirmare non audeamus ob ſpecialis hoc in paſſu legis, conſtitutionis defectum; videtur tamen quodam modo affirmativæ ſubſcribendum eſſe, quoniam & ii in claſſes creditorum recipiuntur, qui damnum paſſum ſeu credita ſua alio modo, veluti per teſtes, aut confeſſionem debitoris probare poſſunt; ſpecialem nempe habemus claſſem

in-

Digitized by Google

in qua, qui nullo privilegio, vel jure hypothecæ nituntur, nudaque ac ſimplicia credita adeoque & damna paſſa ex dolo debitoris docent, & petunt, ponuntur. Provoco hac ex parte ad mentem & verba Sereniſſimi Legislatoris in *Conſt. 28. P. 1. §. ult. verſ.* und letzlich die Chirographarii, welche allein Brief und Siegel, oder NB. andre Nachrichtungen ihrer Schuld halben vorzulegen haben. quod etiam vult *Ord. Proc. Tit. 50.* von denen Chirographariis, und gemeinen Gläubigern, *in pr. verſ.* So werden dann erſt ꝛc. ꝛc. *Carpzov. P. 1. C. 28. D. 159. Schœpfer. ad tit. ff. de Reb. autor. Judic. poſſ. vel vend. n. 20. Lauterb. in Compend. Jur. h. t. p. m. 588.*

§. XXI.

Num autem per jocum falſo laudans veniat in judicium doli, inquiramus. Et nemo negabit verbis interdum nos liberales eſſe, præſertim quando inter amicos negotium geritur, dum aliud animo cogitamus, aliud loquimur, aut agimus jocandi cauſa. In omnibus vero negotiis intentio ac propoſitum cujusque attendatur neceſſe eſt, quo de vi ac efficacia contractus ſeu negotii poſt modum dijudicari poſſit. ex jocoſis verbis autem plane nullus conſenſus, quin potius diſſenſus inferri queat, nam jocus conſenſui perinde ac error adverſatur juxta *L. 15. ff. de Jurisdict.* & *L. 20. ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend.* & locutio jocoſa, obſcura, incerta atque ambigua eſt, quæ multipliciter intelligi poteſt. *Bald. ad L. 17. ff. de Legibus*, quare etiam minimum in ejusmodi obſcura locutione attendi debet, *L. 9. ff. de R. I.* cum in dubiis benigniora præferenda eſſe aſſerat *L. 56. ff. de R. I.* His

Quid juris: ſi quis ex Joco falſo laudet, habetur.

itaque præſuppoſitis, ſi de animo nocendi ex joco falſo laudantis, aliter non conſtet, dicendum eſſe putamus, hunc plane non venire in judicium doli, interim alter imputet ſibi, ſuæque credulitati, ac ſimplicitati damnum ex jocoſa laude ortum & paſſum. His ſic ſe habentibus utilis eſt cautela, ut conſulens alterum dicat: daß er ihm ſolches nicht aus Schertz ſondern aus Ernſt ſagen möge. In genere autem an damnum ex joco inferens teneatur, videri poteſt *Wurmſer. & Hartman Libr. 2. Miſcell. cap. 1. obſ. 14.*

§ XXII.

De fœmina falſo laudante agitur.

De fœminis falſo laudantibus quoque diſpiciendum, & num in judicium doli veniant, inquirendum eſt. Videtur quod non, propter Sanctionem SCti Vellejani, vi cujus neque pro aliis firmiter intercedere, aut fidejubendo ſe obligare poſſunt, L. *1. in pr.* & L. *2.* §. *1. ff. ad SCtum Vellej. Schœpfer. ad h. t. n.* 4. Ratione deſumta ex eo, quod fœminæ virilibus officiis fungi prohibeantur in L. *2, ff. de R. J.* Verum omnino reſpondendum, quod ſic, propter expreſſa SConſulti hujus verba in L. *2.* §. *3. h. t.* ubi: *Sed ita demum ſubvenit, ſi non callide ſint verſatæ, hoc enim Divus Pius, & Severus reſcripſerunt, nam deceptis non decipientibus opitulantur. Et eſt græcum Severi tale reſcriptum :* Ταῖς ἀπατώσαις γυναιξὶν τὸ δόγμα τῆς συγκλήτου βουλῆς οὐ βοηθεῖ. *Decipientibus mulieribus Senatusconſultum auxilio non eſt. Infirmitas enim fœminarum, non calliditas auxilium demit.* Adeoque nihil obſtat, quominus aſſeveremus fœminas falſo laudantes, hocque ipſo decipientes, firmiter judicio doli teneri, quippe cum propter dolum commiſ-

ſum

ſum ſuum amittant privilegium SCti Vellej. *Gotofred. ad* L. 2. §. 3. *ff. h. t. Stryck. Cautel. contr. Sect. 2. cap. 6. §. 13. Müller. ad Struv. Exerc. 21. h. t. §. 10. (α).* Nunquam etenim Legumlatoribus mens fuit ab omni plene eximere fœminas obligatione, ne quod præſidio ipſis ſit, aliis damno cedat, vel quod infirmitatis debebat eſſe adminiculum, fiat mantellum iniquitatis, infirmitas namque fœminarum, non calliditas auxilium meruit. L. *30. ff. h. t.*

§. XXIII.

Quousque falſæ laudis præſumtio procedat, ſermo inſtituitur.

Incidentem placet quæſtionem hic aliis poſtpoſitis, tractare, *quousque nimirum falſæ laudis præſumtio procedat?* Cum enim quilibet præſumatur bonus, non autem doloſus arg. L. *51. ff. pro Soc.* & L. *30. Cod. de inoffic. teſtam. cap 16. extra de Præſumt.* donec probetur contrarium, ſummo cum jure & æquitate in L. *18* §. *1. ff. de Probat.* & L. *5.* §. *6. ff. de Re militar.* clare ſancitum invenimus, ut is, qui dolo aliquid dicit factum eſſe, dolum admiſſum perſpicuis indiciis probet. *Mantic. de Conjectur. ultim. Volunt.* L. *2. Tit. 7. n. 1. 2. Maſcard. de probat. Vol. 1. concl. 532.* Cur autem indiciis perſpicuis, conjecturis & præſumtionibus probari debeat, & qua ratione poſſit, ſequens redditur ratio a JConſultis: quod lateat in animo, difficilisque ſit probationis, directeque probari non poſſit. evolvantur *Maſcard. de Probation. Vol. 1. Concl. 531. n. 1 & 2. Menoch. Libr. 1. de Præſumtion. quæſt. 58. n. 10. Mevius Deciſ. 146. Part. 6. farinac. Prax. & Theor. crim. quærimon. 89. n. 16. Part. 3.* & quidem præſumtionibus non tantum legis, ſed & hominis arbitrio judicis æſtimandis *Philippi L. 3. Eccl. 43.*

n. 11.

n. 11. & 12. ubi & præjudicium Scabinor. Lipſ. menſe Januar. anno 1638. ad requiſitionem Caſpari Neanders zu Lindau, ibi: Es könte und möchte denn mehr beſagter Officirer, wie recht erweiſen, und beybringen, daß aus eures Vatern hohen Nachläßigkeit und Betrug ob angeregtes Säcklein mit den Gelde verlohren worden, und hinweg kommen, inmaſſen ihm dann ſolchen Beweiß zu führen, vor allen Dingen oblieget: Uf ſelbigen Fall hätte ſich mehr bemeldter euer Vater der reſtitution nicht zu entbrechen V. R. W. adeoque liquet falſæ laudis præſumtionem eo usque procedere, quousque ea indiciis & conjecturis ſatis perſpicuis probari poſſit, juxta *L. fin. Cod. de Dol. mal.*

§. XXIV.

De Advocato cauſam malam tanquam bonam falſo laudante, verba fiunt.

In judicium doli quoque venit advocatus cauſam malam tanquam bonam laudans, eoque ipſo ſui lucri gratia clientem ad varia inconvenientia inducens, dum plane non memor nobilis ſui officii & requiſitorum in *L. 14. Cod. de advoc. Diverſ. Judic.* & *L. 1. §. 1. ff. de Poſtul.* advocationis munus plus ad ſubverſionem veritatis, ac litigiorum augmentum, quam ad lucidationem Juſtitiæ, & litium diremtionem exercet, conſcientias hominum pervertit, & Judiciorum ſanctitatem in cautelas, techinas, atque perjuria commutat, ab hoc & ſimili perverſo conatu, abhorret Legislator Sereniſſimus Saxo in N. Erkl. von Juſtitien = Sachen, §. 33. von Advocaten und Procuratorn &c. pœnamque contravenientibus dictitat in ſequentibus: Wollen wir die Advocaten und Procuratores ihres Amts Gebühr treu-

treulich erinnert, und dahin gewieſen haben, daß ſie bey ihrem Beruff ſchuldigen Fleiß anwenden, vor denen Gerichten in Reden und Schreiben ſich gebührender Beſcheidenheit gebrauchen, ſtacheliche, anzügliche Worte ſo wohl gegen die Gerichte, als ihren Gegentheil und deſſen Beyſtände, wie auch undienlicher Weitläufftigkeiten enthalten, nicht alle Sachen ohne Unterſcheid und ehe ſie derſelben Umſtände recht erkundiget, annehmen, ihrer Clienten und Principaln Nothdurfft, förmlich, kurtz, kláhrlich, und richtig ohne Verwirrung, und unnützes Geſchwätze ſetzen, vor und anbringen, um eigenes Gewinnes willen zu unnöthigen Zanck und Rechtfertigung nicht rathen, noch die Unterthanen wieder ihre Obrigkeit verhetzen, oder in ungebührlichen und ungerechten Sachen mit Vorbildung gewiſſen Siegs verſtärcken, ꝛc. confirmat hæc *Ord. Proc. Tit. 3.* pœnam contravenientium finalia habent verba, da aber einer, oder der andere dawider zu handeln ſich gelüſten laſſen würde, den, oder dieſelben ſollen unſre Cantzler und Räthe, Hof und Appellation-Gerichte, nicht allein in die dißfalls verwürckte Straffe zu vertheilen, ſondern auch aus erheblichen Urſachen nach Befindung à praxi zu ſuſpendiren Fug und Macht haben. Jus Civile quoque ejusmodi Advocato pœnam dictitat in *L. 10. Cod. de accuſat.* quæ tota de promiſſione victoriæ agit, ſequentem in modum: *Qui explicandi negotii ſpem, (cujus finis in judicis*

D pe-

Digitized by Google

poteſtate ac motu ſitus eſt) *pollicetur, non minus ob illicitam ſponſionem crimen contrahit, quam qui ad hujusmodi promiſſionis commercium contra diſciplinam publicam adſpirat.* Quæ conſtitutio, licet plerumque de aſſeſſore, aut Conſiliario Judicis explicari ſoleat, nil tamen prohibet, quo minus ad advocatum ſui lucri gratia cauſam malam tanquam bonam laudantem, adeoque tale quid committentem ſit applicanda. Porro in L. *15. ff. de Injur.* dicitur: *eum qui eventu ſententiæ velut daturus pecuniam, vendidit, fuſtibus a Præſide ob hoc caſtigatum, injuriarum damnatum videri. Utique autem apparet hunc injuriam ei feciſſe, cujus ſententiam venditavit.* Et in genere, in quacunque cauſa, ſive privata, ſive publica, omni cui data fuerit pecunia, vel Judici vel adverſario, amiſiſſe actionem eum, qui diffidentia cauſæ in pecuniæ corruptelam ſpem negotii repoſuerit, jus olim fuiſſe docet Imperator Antonin. in Sanctione L*egis 1. Cod. de pœn. Judic. qui mal. judic.* Corroborant huc poſita prolixa ſatis deductione *Franciſc. Vivius Libr. 1. Deciſ. Neapol. 123. Carpzov. P. 1. C. 1. d. 18. Caſp. Ziegl. in Rabuliſtica cap. 7.*

§. XXV.

De Proxeneta inidoneum tanquam idoneum falſo laudante, judicatur.

Proxenetam tandem quoque judicio doli teneri, qui lucri cauſa alterum alteri tanquam idoneum, qui tamen mox decocturus eſt, falſo laudat, in propatulo eſt, Leges namque civiles & Saxonicæ, & aliæ iſtud expreſſe conſtituunt; Sic in *L. 2. ff. de Proxeneticis* clare habetur: *Plane ſi dolo & calliditate creditorem circumvenerit, de dolo actione tenebitur.*

ra-

ratio deſumta eſt ex *L. 43. §. 1. ff. de adminiſtr. & pericul. Tutor. L. 12. ff. de Dol. dolum* quippe *nemini patrocinari debere.* Et in *mandat. Elector. de dato 28. April. anno 1625.* von wucherlichen Contracten und Ceſſionen, hos plane è Saxonia exterminandos eſſe proponitur, verba ſunt ſequentia: Weil uns auch fürkommen, daß diß ſchädliche Laſter des Wuchers in unſern Landen nicht wenig auch daher eingeriſſen, daß etliche Mäckler, Trödeler, und Partierer, an Mannes und Weibs-Perſonen zu befinden ſeyn ſollen, welche kein ander Gewerb, oder Hanthierung haben, oder treiben, denn daß ſie den Leuten um ein genanntes, ſo man ihnen dafür geben muß, Geld aufbringen, und ausrichten, dieſelben auch zum öfftern mahle, wenn dergleichen wucherliche Contracte geſchloſſen worden, die Verſchreibung von andrer Leute wegen auf ſich richten laſſen, und alſo der andern, welche ſonſten ihres Standes, und Nahmens halben ſich dafür ſchämen, und deſſen enthalten müſſen, Schand-Deckel ſeyn; und dergeſtalt zu dieſem Laſter nicht wenige Urſache geben. Daß auch ſolche Perſonen bey andern Leuten um gewöhnlichen Zinß aufnehmen, und förder um einen höhern und gröſſern Gewinſt, und Partiet ausleihen, auch offtmahls den, von welchem ſie ſolch Geld entlehnet, es dafür halten laſſen, als hätten ſie es dem andern, deme es zu gute angeſehen, nur um einen gebräuchlichen Zinß geliehen, und nehmen nichts minder der Ubermaß halben ei-

ne ſonderliche Verſchreibung / ſo auf ſie gerichtet / oder heben dieſelbe würcklich auf, und wenden ſie in ihren Nutzen.

So verordnen und befehlen Wir gleichfalls ernſtlich / daß eine iede Obrigkeit, und Gerichtshalter in unſern Landen, auf dergleichen Mäckler / Trödeler, und Partierer / wer die auch ſeyn / fleißig Achtung geben, und derer keinen, weder in noch auſſerhalb der Märckte dulden noch leyden / ſondern daß ſelbe innerhalb gewiſſer Zeit zu räumen, bey hoher Straffe aufzuerlegen / und daß ſolches geſchehe, möglichſtes Fleiſſes daran ſeyn. Torgauiſ. Ausſchreib. 1583. §. So ordnen / ꝛc. ꝛc. Odium Sereniſſimi Saxonis in hos non ſolum ex his ſatis patet, ſed & ex ſequentibus hauriri poteſt paragraphis, in quibus Magiſtratibus negligentibus, in exſequenda hac conſtitutione, pœnam haud vulgarem dictitat: Da aber die Gerichts-Herren und Haltere in Städten, oder aufm Lande / an dieſen oder andern, was zu Abſchaffung dieſes Laſters gehörig, und nöthig, ſäumig erfunden, ſo ſollen ſie alsdenn, ſo offt ſie darüber brüchig befunden / nach iedes Falls Gelegenheit erſtlichen beſtraffet werden.

Wir thun auch hiermit unſerm beſtallten Fiſcal inſonderheit ernſtlich auferlegen, und befehlen, daß er ohne fernern unſern ſonderbahren Befehl dieſes Laſters halben in unſern Lan-

den

Digitized by Google

den ungeſcheuet fleißige Inquiſition anſtellen, und do iemands befunden wird, der dieſer unſerer Verordnung in einem und dem andern zuwider gehandelt, wider denſelben, wes Würden oder Standes der iſt, der Straffe halben, ohne einiges Anſehen der Perſonen, gebührlichen verfahren ſoll. De Jure Receſſuum Imperii idem ferme conſtitutum eſſe docet *Reform. Polit. auguſtan. de anno 1530. tit. 26.* von wucherlichen *Contract*en § *1.3.7.*&c. *nec non reformat. Politic. Francofurtan. de anno 1577. tit. 17.* qui plura hac de materia legere diſcupit, evolvat *Strach. de Decoctor.* rubr. *quomodo procedatur contra illos qui Decoctores laudant. n.34.* & Tractat. ſpecial. *de Proxenet. p.3. per tot. Joh. Marquart. de Jure mercator. & commerc. Libr. 1. c. 8. n. 72. Carpzov. Deciſ. 130. n. 19, 20. Meier in C. I. A. tit. de Proxen. §. 11. & 12.*

§. XXVI.

De Proxeneta, ſeu Proxenetria falſa ſua laude nuptias conciliante habetur.

Definitur plerumque a JConſultis Proxeneta, quod ſit conciliator non modo contractuum, & commerciorum, ſed & conditionis matrimonialis, amicitiarum & ſimilium, in primis vero Proxenetria dicitur conciliatrix nuptiarum, quæ conflandis & conjungendis matrimoniis quæſtum quærit. *Calvin. in Lexic. Jurid. Voc. Proxenetria.* quæritur itaque haud immerito; an in judicium doli veniat proxeneta, aut proxenetria falſa perſonæ laude præmiſſa nuptias concilians? quando nimirum, perſonam quam ſibi matrimonio jungi alter cupit, tanquam formoſam, bonam, juvenem, divitem, nobilemque

 fal-

falſo laudaverit, arg. *L. 19. ff. de ædilit. Edict.* Putat equidem magni nominis JConſultus *Meier in colleg. Jur. Argent. tit. de Proxenet.* §. *11.* in fine, quod non, quoniam ſibi imputare neceſſe habeat, qui ejusmodi hominibus fidem adhibuerit, quos ſcire debebat callidis machinationibus, atque conſiliis cuncta fere ſine rubore affirmare, vel laudare, modo aliquid lucri percipere queant. Verum liceat hoc in paſſu ab hujus JConſulti conſummatiſſimi ſententia recedere, & omnino Proxenetam, aut Proxenetriam ex dolo conveniri poſſe affirmare. Nunquam etenim dolus impunitus relinquendus, juxta *L. 4.* §. *2. ff. de noxal. action.* neque quisquam cum damno alterius locupletari debet, ſecundum *L. 14. ff. de Condict. indebit. & L. 206. ff. de R. J.* inprimis ſi dolus & fraus ejus interveniat, *L. 3.* §. *1. ff. de eo, per quem fact. erit, quo minus quis in Judic. ſiſtat.* & in genere Proxenetæ obligantur in negotiis illicitis, ſi dolo & calliditate contrahentes circumvenerint, *L. 2. ff. de Proxen.* adeoque & hoc in paſſu propoſito, has ob rationes adductas non videtur dubium aut falſum, ſi dicamus Proxenetam aut Proxenetriam in cauſa matrimoniali falſo laudantes venire propter dolum hic æque ac alibi commiſſum in judicium doli. vid. Magnif. *Schacher. Diſſert. inaugural. de Laude intempeſtiva cap. 3.* §. *23. n. 145. 146. ſeqq.*

§. XXVII.

An ejusmodi matrimoni-

Interim negamus, matrimonium falſa laude Proxenetæ, aut Proxenetriæ contractum, ob ejusmo-

modi errores commiſſos, diſſolvi poſſe; cum plane non ſit de ſubſtantia matrimonii, an bona, an dives, an pauper, an nobilis exiſtat, perſona conjungenda, neque enim in inſtitutione matrimonii ſummi Legiſlatoris unquam harum conditionum aut qualitatum ceu neceſſariarum, mentio facta eſt, neque Imperator Juſtinianus & alii Legumlatores id voluerunt obſervari in communi vita; ſpectant namque hi errores fortunam & qualitatem tantum perſonarum, per quos matrimonia nullo modo reſcinduntur, per *c. un. cauſ. 29. qu. 1. §. 3. Beuſt. de Jur. connubior. Part. 2. cap. 44.*

um falſa laude Proxeneta contractum ideo diſſolvi poſſit diſquiritur.

§. XXVIII.

Plura poſſent equidem huc poni, falſum laudantem ex dolo conveniendum concernentia; ſed cum animus non fuerit jactantiæ aut falſæ laudis, ſed exercitii Diſputatorii ſpecimen edere, potioribus delibatis, labori huic imponimus cum DEO

FINEM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google